



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1521. usque ad annum 1525

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1769**

**VD18 90118472**

§. 38. Caussa diffidii inter Carolum V. & Franciscum I.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66495](#)

**Sæcul. XVI.** urbe Hierga in Arduenno agro sita ju-  
**A.C. 1521.** dicio contendebat, quam etiam Robertus per Ducatus sui Proceres Chimacensi adjudicabat. Aimerius, postquam caussa cecidit, a Cæsare prosequendæ appellationis diploma petiit, obtinuitque, quo eidem datum, ut Chimacensis Principis liberos in judicium coram Brabantiae Cancellario ad hoc negotium deputato vocare posset. Robertus Marchianus pupillos, quorum Tutor erat, ibi comparere jussos, ac supremum (ut contendebat) Buillonii imperium labefactatum indignatus, quosdam ad Cæsarem ablegabat, qui jus suum defenderent; cum vero Carolus ejusdem postulatis annuere recusaret, Robertus Gallorum partibus sese addixit, ac Remorantini Franciscum Regem adiit, a quo perbenigne exceptus, ejusque præsidio inflatus, Cæsarem missis literis ad pugnam provocavit, ac Fleurangium filium suum natu majorem cum quatuor, aut quinque armatorum millibus præmisit, ut Virtonum Lucemburgensis Proviciæ urbem Carolo V. subditam obsideret.

### §. XXXVIII.

*Cauſa diſſidii inter Carolum V. &  
Franciscum I.*

**E**x hac agendi ratione haud obscure  
per-

perspexerat Imperator, quod Fran- Sæc. XVI.  
A.C. 1521.  
ciscus I. studiose jurgia suscitare quæ-  
reret, ut pristinam cum eo amicitiam  
solvendi obtentum haberet, quibus ac-  
cessit jam nota de Regno Navarrensi  
contentio: his igitur de cauſis brevi  
ambo Principes in aperta eruperunt dis-  
fidia. Evidem Angliæ Rex pacem  
conciliaturus Legatum misit, qui Gal-  
liarum Regem admoneret, ne adverſus  
Cæſarem quovis pacto hostiles ausus ex-  
erceret. Ast Franciscus tunc *Sacro-*  
*Cæſare* agens, Legato reposuit: Non  
ego belli Carolum inter & Marchianum  
auctor sum, quinimo subditis meis pro-  
hibeo, ne Roberti stipendia merean-  
tur, jubebo etiam, ut idem litem suam  
cum Aimerio Barone dirimat, quin ar-  
mis Cæſarem invadere præsumat. E-  
nimvero ad Regis iussa Fleurangins ex-  
ercitum suum dimisit, & Franciscus I.  
Montpesatum ad Angliæ Regem eo con-  
ſilio ablegavit, ut cum illo de pace inter  
Imperium, & Franciam firmando age-  
ret; eodem tamen tempore Pontificem  
ſollicitavit, ut junctis cum eo viribus,  
ac inito fœdere Neapolis Regnum  
invaderet.

F 5    §.XXXIX.